

XIX.

*Littere JOHANNIS VVEIGERGANCK Præpositi
Lunensis.*

Venerabilis Domine & Amice. Video in Concordantia duo, quæ tangunt fratres Conventuales. Primum est in Clausula: Nec Præpositus Prior &c. ubi de confessionibus audiendis & sacris ministrandis ordinatum est, quod hujusmodi sacra liceat Præposito & Priori &c. impendere Fratribus Conventualibus ipsius monasterii: & intelligo per Fratres Conventuales illos, qui integrant corpus Conventus, etiam si nondum sint professi. Tales enim novitii habitu, sunt Fratres Conventuales. Secundum est de Sepultura, & ille articulus est magis extensus, videlicet non solum ad Fratres Conventuales, sed etiam ad familiam domesticam & cottidianam. Ex quo videtur, quod, quia retinent illorum sepulturam, possint eorum audire confessiones & eis sacramenta ministrare, quamdiu remanent de eorum familia domestica & cottidiana. Idem per omnia credo de illis, qui prædicto Monasterio offerunt DEO se & sua, & habitum deferunt, & vitam monasticam in dicto monasterio servant: quia oportet, quod talis oblatio sit perpetua & sub obedientia Præpositi. Nec refert, an tales sint mares vel feminae, licet isti non sint de corpore Conventus vel Capituli, sed sint Conversi & Conversæ. Ista autem non habent locum in illis, quibus simpliciter communicata est per litteras sigillatas spiritualis fraternitas. Tales enim non sunt religiosi nec translati nec conversi; & ideo tales etiam non gaudent Privilegio Canonis, si quis suadente; nec gaudent Privilegiis ordinis seu ex illo capite, *quacunq[ue] Ecclesiastica libertate.*

Jo. Præpositus de Lune, dictator horum.

Ita sentio, salvo judicio verius sentientis.

XXXII.

CHRONICON
COENOBII S. MICHAELIS
IN HILDESHEIM, ORDINIS
S. BENEDICTI,

Ex MSto.

BERNWARDVS Comes in Sommenschenburg, XIII. Episcopus Hildesimensis Anno 1001. fundavit Monasterium & Ecclesiam S. Michaelis sub protectione S. Michaelis Archangeli & omnium Angelorum & ordine S. Benedicti. Et sua autoritate banno roboravit S. Bernwardus Anno 1022. in dedicatione Ecclesie, verbis: *Si quis inde vi aut sponte aliquid diriperet, perpetua damnationi subiceret, & ut incumbente super eum omni maledictione, careret benedictione essetque exterminatus à terra & celo; partem haberet cum Juda in inferno, & cum iis, qui in hereditate possident sanctuarium DEI.* Obiit S. Bernwardus Anno 1023. 20. Nov. & sepultus est in crypta Monasterii, canonizatus anno 1193. sub Cælestino Papa 3. Custodiuntur adhuc in hoc monasterio casula S. Bernwardi, miraculosa crux, biblia, duo candelabra, reliquiæ & columna ærea, quam ipse fecit & posuit retro altare S. Crucis, portatile, baculus, columna marmorea, & hydria Canæ Galilææ sub magna corona in medio Ecclesie nostræ.

I. GODERAMMVS Marchionis filius, doctor sacre pagine, & præpositus S. Panthaleonis Colonie, quem S. Bernwardus cum aliquibus fratribus 996. vocavit ex Monasterio S. Panthaleonis pro primo Abbate. Celebraverunt fratres tunc divina in Sacello S. Crucis apud nostrum refectorium, antequam fabrica majoris Ecclesie esset perfecta. Postea, sacellum illud pro parochiali Ecclesia reparatum & dedicatum est in honorem S. Lamberti. Obiit 1030, sepultus ante altare S. Stephani. Anno 1062. sepulchrum aperuerunt, & inventa sunt ossa integra cum manibus in pectore complicatis. Vir sanctus fuit. Modo sepulchrum ejus intra muros Ecclesie situm est.

II. ADELBERTVS fuit Præpositus montis S. Joannis Baptistæ Herocampie prope Hirsfeld, à S. Godehardo in Abbatem consecratus, sub quo monasterium in vigilia Pentecostes fulmine combustum est anno 1034. Intestimonium adhuc visio in Ecclesia retro altare S. Cru-

cis in Columna ænea à S. Bernwardo erecta invenitur. Anno 1035. Ecclesia à S. Godehardo dedicata. Obiit 1054, sepultus ante altare S. Crucis.

III. S. BENNO, Comes in *Woltenberch* prope Goslarium, S. Bernwardo sanguine junctus, in nostro monasterio educatus sub magisterio *Tangmari* Decani & Wigini monasterii præpositi, tertius Abbas eligitur 1054. Tribus mensibus laudabiliter præfuit: postea ab *Henrico* Imperatore (qui ambitum monasterii fornicibus decoravit) vocatus Goslarium pro magistro Canonorum. Episcopus *Misensis* eligitur anno 1066, mortuus 1106, Canonizatus à Leone 10. anno 1523. Translatus *Monachium*, ubi claret miraculis, & partem occipitis accepimus fabricato infra octavam patronorum nostrorum.

IV. SEGEBERTVS Hildesienfis professor, Doctor decretorum, vir religiosus & sanctus. Electus 1045. Sub ejus regimine ablatae sunt decimæ in *Lasserde, Eggelsen, Nettlingen, Sauwigen*, & bona in *Wenthusen*. Rexit laudabiliter 34 annos, mortuus 1079. sepultus in Crypta ante altare omnium Sanctorum sub choro fratrum.

V. MEYNWARDVS Hildesienfis professor & prior, vir doctus, electus 1079. sub ipsius regimine fundata sunt monasteria *Huisburgense* & *Bursfeldense*, item S. *Mauritii* in monte, & S. *Crucis* in Hildesia ab Episcopo *Etilone*. Rexit *Meynwardus* 23. annos. Obiit 1102. sepultus ante altare S. *Crucis*.

VI. CONRADVS hujus nominis primus Hildes. professor & consanguineus Abbatis *Segeberti*, electus 1102. Sub ejus regimine fundatur *Lubeck*, & S. *Bernhardus Cistercium* ingreditur 1107. Decima in *Nettlingen* Vasallis de *Salderen* in feudum datur. Rexit 22. annos; obiit 1124. sepultus circa avunculum suum *Segebertum*, adhuc integrum jacentem in casula.

VII. CONRADVS secundus professor in *Corbeia*. Ipse Abbas providit diversis vicibus *Hoyconem* & *Adelberronem* cum Ecclesia in *Holtbusen*, nunc *Wrisbergholtzen*. *Walkenreda* fundatur, & *Bartoldus* Episcopus Hildesienfis introduxit Religiosos in *Marienrode*; Moniales ibidem locavit in *Yfernhausen*. Electus *Conradus* 2dus 1124. Rexit 4. años. Obiit 1128, sepultus ante Altare S. *Crucis*.

VIII. THEODORICVS Imus. Professor, Magister artium. Tempore ipsius *Bernhardus* Episcopus Hild. Comes de *Walleshusen*, cooperante *Conrado* 3tio Rege, *Ringelem* Monasterium Regale virginum, fecit Episcopale; & pro primo Abbate consecravit *Ludolphum*, professum ex Monasterio nostro S. *Michaelis*. S. *Godehardum* canonizavit & Monasterium fundavit. Electus præfatus Abbas 1128. Rexit 13. annos, obiit 1141. Sepultus in Choro S. *Joannis*.

IX. BORCHARDVS Nobilis, proceræ staturæ. Sub ejus Regimine obiit *B. Bernhardus* Hild. Episcopus & in Monasterio S. *Godehardi*, quod ipse fundavit, in choro requiescit. Electus *Borchardus* Abbas 1141. Rexit 3. annos. Obiit 1144. sepultus ante Altare S. *Crucis*.

X. FRANCO Professor & Prior, vir bonus & Zelosus. Habuit pro præfecto & Advocato *Walterum*. Eodem tempore tres *Luna* in cælo visæ sunt, & in medio Signum *Crucis*; postea tres soles: & claruit Magister *Petrus Lombardi* Episcopus *Parisiensis*. Electus 1144. Rexit 13. annos. Obiit 1167, sepultus in remotis partibus.

XI. WICHARDVS Doctor *Medicina*, quondam Canonicus B. *Mariæ* Hild. Habuit præfectum *Ludolphum*. *Fridericus Imus* *Mediolanum* cepit in Italia, & S. S. corpora trium Regum; *Naboris* & *Nazardi* transtulit *Coloniæ*. Comparavit in Folio & pergameno *Vetus* & *Novum* Testamentum, cum multis aliis libris & *Psalteriis*. *Wichardus* electus 1167. Rexit 12. annos. Obiit 1179, sepultus in remotis partibus.

XII. THEODORICVS secundus, Hildes. Magister & Professor, multa clenodia in casulis & cappis Monasterio comparavit. Pro præfecto constituit *Eustachium*. Sub ejus Regimine, S. *Berwardus* à Papa *Cælestino* 3tio, elaborante hoc *Bernone* Episcopo Hildes. & *Theodorico* Abbate canonizatur; qui etiam obtinuit insulam & sandalia cum aliis libertatibus; privilegiis & multis indulgentiis. Ordo Fratrum de *Hospitali* in *Jerusalem* instituitur. Canonizata est S. *Cunegundis* Imperatrix. Monasterium virginum novi operis in *Goslaria* fundatur. Electus *Theodoricus* 2dus 1191, obiit 1203. Kal. Decemb. & sepultus in Choro S. *Joannis*.

XIII. HVGOLDVS Doctor S. *Theologiæ*, Monachus & Professor S. *Viti* in *Corbeia*. Tempore istius 1200. cepit Ordo *Prædicatorum* à S. *Dominico* in *Hispaniis*, & S. *Franciscus* incepit Ordinem suum cum II. Fratribus 1210, & scripsit Regulam F. F. *Minorum*, & S. *Elisabetta* Landgravia sollicitavit pro *Conrado Hannoverensi*, ut in Hildesia locum habere posset. Accepit locum pro Monasterio S. *Martini*, in quo & sepultus est. Electus Abbas *Hugoldus* 1191. Rexit 29. annos. Obiit 1220. sepultus in *Corbeia*.

XIV. DETHMARVS Professor & Doctor *Juris*. Pro præfecto constituit *Leopoldum*. Sub ejus Regimine 1226, *Craftino* Nativitatis B. M. V. civitas Hildes. cum Ecclesiis & domibus intra murum, totaliter conflagrat, præter oratorium S. *Crucis* & viculum ejusdem. Et Monasteria *Wulmeshusen*, *Frauckenberg* in *Goslaria* & *Wibusen* fundantur. Et Abbas *Dethmarus* dedit sororibus S. *Mariæ* *Magdalena* certas habitationes apud *Indistriam*, circa vineam nostram antiquam, pro Monasterio constituendo. Episcopus *Conradus* comparavit castra *Depenow*, *Rosendael*, *Peina*, *Poppenborg*, *Levenrot*, *Emmam* five *Gronaw*. Electus *Dethmarus* 1220. Rexit 20. annos. Obiit 1240, sepultus ante Altare S. *Barwardi* ad *Aquilonem*.

XV. GOTT.

XV. GOTTSCHALCVS Nobilis de *Bolzen*, professus, reparavit Ecclesiam ruinofam cum ambitu. Impetravit multas Indulgentias ab Innocentio 4to, & bona in *Essen* comparavit. Præfectum constituit *Conradum Nigrum*, Episcopus Hildes. *Joannes* Castrum *Peinense*, *Depenow* & *Lücher* ex toto subegit. Electus Abbas *Gottschalcus* 1240. Rexit laudabiliter 10. annos. Obiit 1259, sepultus ante Altare S. Crucis.

XVI. ERNESTVS nobilis, professus, emit bona in *Rutenberg* & *Bekem*. Idem Abbas instituit magnum servitium, ut *Canonici majoris Ecclesie in Festo Michaelis cum suis choralibus missam in choro nostro cantarent*: & certa bona assignavit *Canonis S. Crucis & S. Andreae, ut in die S. Bernwardi divinis interessent & nobiscum circumirent*. Constituit pro præfecto *Echelarium*. Electus 1259. Rexit laudabiliter 37. annos, obiit 1297, sepultus ante altare S. Bernwardi ad austrum.

XVII. OTTO nobilis de *Kampen*, professus, rexit ad unum annum, postea resignavit, & retinuit sibi aliqua bona, & litteras de domo Hospitalis nostri & aliquibus bonis ad vitam; quæ tamen omnia in senectute Monasterio resignavit. Constituit pro præfecto vel Vogteto Monasterio nostro *Albertum Matthie*.

XVIII. HENRICVS de *Wentbusen* nobilis, professus, in poësi & aliis scientiis multum versatus, bona à suo prædecessore alienata recuperavit. Vendidit *Marienrodensibus* 3. mansos inter *Uppen* & *Wentbusen*. Electus 1298: expulsus à *Conrado de Steinberg* successore, anno 1315. Construxit *Monasterium Prædicatorum in Brunswich* tempore expulsionis suæ, & reliquiis S. Bernwardi dotavit. Episcopus *Henricus Comes de Wolenberg* castrum *Stürwald* ædificavit: oppidum *Bokenem* pro magna pecunia comparavit.

XIX. CONRADVS de *STEINBERG* tertius hoc nomine. Eo tempore chorales sunt recepti, & Schola incepit in Summo. Impignoravit campum retro nostrum molen-dinum. Iste *Conradus*, cum quodam die iter agerët, forte accidit, ut equo labente tibia fregerit. In sella jussit se ad sepulchrum S. Bernwardi deportari; per solutis precibus & voto, quoad usque viveret, diu noctuque candelam apud sepulchrum promisit: sanus exivit. Præfectum constituit *Henricum Bockvel*. Resignavit *Henrico de Wentbusen*, quem antea expulit; mortuus præ tristitia, & sepultus in Cappella SS. Philippi & Jacobi. Abbas *Henricus* rexit adhuc 6. annos. Comparavit tabulam S. Crucis 1354. & sepultus in Cappella SS. Philippi & Jacobi, quam ipse cum bibliotheca antea ædificavit.

XX. HARTMANNVS VRESE primus hoc nomine, & ab infantia in Monasterio nutritus, ædificavit diversas cellas pro fratribus, Campum die *Marſch* consulatui *Hildesienſi* anno 1362. impignoravit. Et portam vaccarum Monasterii nostri *Hildesienſes* clauferunt. Abalienavit *Medel* cum villis circumiacentibus. Oppidum *Dam* sub Episcopo *Henrico*, Duce *Brunswiceniſi*, *Hildesienſes* funditus destruxerunt. Electus *Hartmannus* Abbas 1354, rexit 10. annos, obiit 1364. sepultus circa altare S. Petri ad aquilonem.

XXI. BODO de *OBERGE* nobilis & subdiaconus, fuit cum *Gerardo* *Hildes.* Episcopo in prælio prope *Dinckler*. Erat armatus à planta pedis usque ad verticem, habens scapulare sub galea. Ceperunt Ducem *Magnum* de *Brunswich* & *Albertum* Episcopum *Halberſtadenſem*. De pecuniis extortis *Gerardus* Episcopus *Carthusiam* fundavit prope *Hildesiam*, calicem aureum S. *Mariæ* dedit, & turrim Ecclesie cathedralis auro *Ungaria* obduxit. Castrum *Steinbrücke* construere cepit, *Koldingo*, & *Vinenborg* multo pretio acquisivit. Abbas *Bodo* electus 1364. rexit 16. annos; & quia gladio pugnavit, gladio interiit prope *Marienborg* 1380. sepultus in medio choro S. *Joannis*.

XXII. HARTMANNVS 2dus dictus *HAKÉ* nobilis, excellens miles, & magnus in consilio Episcopi *Gerardi*; sed non bene præfuit, & ultra 2. Mansos liberos monasterio non reliquit post mortem. Pro præfecto restituit *Joannem de Ingelem*. Electus *Hartmannus* 2dus 1380. Rexit 20. annos, obiit 1400, sepultus ante altare S. *Catharinae*.

XXIII. JACOBVS PRIOR, electus Anno 1400. in controversia cum Abbate *Alberto Gripentan*. Rexit quasi annis duobus. Iste elocavit bona in *Dosta* & *Rensbusen* ad 6. annos *Diderico* & *Johanni de Hardenberg*. Idem *Jacobus* tandem victus, resignavit *Alberto Gripentan*, & retinuit bona ad vitam in *Volkerſen* cum piscatura in *Droze*.

XXIV. ALBERTVS GRIPENTAN, filius civitatis *Hildesienſis*, reformavit, ut fratres divina, antea à nobilibus neglecta, strenuè iterum servarent. Redemit 4. mansos indecimas in *Osede* prope *Elze*. *Gerardus* Episcopus obiit, & sepultus est in *Carthusia*, quam ædificavit. Electus *Albertus Gripentan* vir strenuus & justus 1402, rexit 16. annos, obiit 1418. sepultus infra altare S. Bernwardi, ubi quondam fuit altare S. *Annæ*, ad meridiem. Posuit pro præfecto vel Vogteto *Sanderum von Siffen*.

XXV. HENRICVS PEPPERSACK filius *Hildesienſis*, 2dus in nomine. Iste *Henricus* fuit electus 1418. de Monasterio S. *Godebarði*, ubi prius rexerat 13. annos; vir bonus, justus & re-

Etus. Restauravit nostrum monasterium in multis locis: rexit uno anno, obiit anno 1419. sepultus est ante altare S. Godehardi Kalend. Februarii.

XXVI. HENRICVS 3^{tius} de HAMELEN nobilis. Electus anno 1419. rexit unum annum. Obiit præfatus Abbas Henricus 1420, Idibus Maji, & sepultus est prope præcedentem 21. Abbatem Hermannum, ante altare S. Catharinæ.

XXVII. THEODORICVS 3^{tius}, cognomine *Brinckman* Hildesienfis. Iste fuit cum Capellano Ecclesiæ Parochialis S. Lamberti in nostro Cemeterio anno 1434. in concilio Basiliensi, & cum esset realis persona, electus est pro Missa de Spiritu S. cantanda. Iste Abbas aperuit sepulchra *Goderammi, Segeberti, Conradi Imi & Theodorici 2di*, & invenit illos adhuc corporaliter integros in casulis. Sepulchra eorum exaltavit, Theodoricum 2dum invenit cum baculo pastoralis semiferreo & lapideo. Sarcophagum S. Berwardi & undecim millium virginum complevit. Electus anno 1420, rexit 28. annos, obiit 1448, sepultus ante altare S. Bartolomæi cum baculo semiferreo & lapideo super sepulchrum.

XXVIII. HENRICVS 4^{tus} cognomine *Woltorp*, electus 1448. in controversia cum *Conrado Waldbusen*. Henricus Woltorp retinuit possessionem, & tria millia florenorum in curia Romana 12¹/₂ annis impenderunt. Advenit Cardinalis *Nicolaus de Cusa*, qui Henricum deposuit, & quendam religiosum virum *Joannem Eylken*, filium hujus civitatis, in monasterio Bursfeldensi professum, iterum monasterio nostro præfecit.

XXIX. JOANNES EYLKEN Hildes. hujus nominis & in reformatione primus. Idem Joannes complevit domum hospitum, à *Theodorico Brinckman* inchoatam. Quando reformationem introduxit, multa privilegia distracta sunt ab irreformatis de multis bonis. Exstat adhuc ipsius copiale & descriptio bonorum. Rexit 14. annos, obiit 1464, & sepultus ante altare S. Stephani, retro *Goderammum Imum* Abbatem ad aquilonem.

XXX. HENRICVS BERCKOW, nobilis, hujus nominis quintus, in reformatione secundus, in monasterio Bursfeldensi professus. Circumdedit muro lapideo totum monasterium, & construxit novam infirmariam super ambitum infra facellum S. Martini & majorem Ecclesiam. Reformavit Monasterium S. Godehardi. Iste Henricus in Episcopum Hildesiensem post mortem Episcopi *Ernesti* electus fuit, sed recusavit. Constituit pro præfecto monasterii nostri *Borhardum Schraderum*. Ampliavit Ecclesiam S. Lamberti. Electus 1464, rexit annos novem, obiit 1473, sepultus ante altare S. Bartholomæi ad meridiem, non remotè ab Abbate *Theodorico Brinckmann*.

XXXI. HERMANNVS POLMAN Monasteriensis, hoc nomine primus, in reformatione 3^{us} Prior præcedentis Abbatis. Uno dierum cum suo Priore & duobus senioribus ab violentiam monasterio factam in piscatura *Indistra*, ivit ad prætorium & viva voce citavit illos ad iudicium extremum. Reformavit multa Monasteria, & suum Priorem constituit Abbatem in *Ringelem*. Tempore suo ab Episcopo *Bartholdo de Landesberg* circumvallata fuit civitas Hildes. Pro Advocato constituit *Henricum Ropsede*. Electus 1473, rexit 13. annos, obiit 1468, sepultus in latere Altaris S. Godehardi; ultimus, qui in Ecclesia monasterii sepultus fuit.

XXXII. JOANNES LOEFF Monasteriensis, Baccalaureus, Cellerarius ad S. Godehardum, missus *Corbeiam* pro reformatione. Inde postulatus pro 32. Abbate 1486. Fuit multorum monasteriorum reformator, constituit pro Vogteto *Borhardum Schraderum juniorem*. Primus inventor braxandi cerevisiam mertiam. De castro *Quynlenborg*, & *Wittevall* in *Nettlingen*: item Benedictione fontis contra tempestates, glires &c. de *Stuetorn & Klappe* retro S. Godehardum: 3. fortalitiis; inveniuntur in *Cronica Abbatum*. Rexit 35. annos, obiit 1521, sepultus in cappella S. S. Philippi & Jacobi.

XXXIII. HERMANNVS DICK Novimagiensis. Hic prior hujus nominis secundus, in reformatione quintus. Electus 1521; & anno 1524, altera die, ubi facta est translatio reliquiarum S. Bonnonis in Ecclesia Misnensi, fratres nostri eò missi in serico magnam partem occipitis transportarunt ad nos Dominica infra octavam patronorum. Anno 1543, parochialem S. Lamberti & Monasterii S. Michaelis ecclesias occuparunt Lutherani; Abbatem cum fratribus incluserunt, & magnam summam pecuniarum ab illis extorserunt, cum annuo salario 150. florenorum pro prædicantibus. Silva *Sverwalt*. Vogtetus Monasterii fuit *Henricus Stuer*. Rexit 30. annos, sepultus in crypta ante altare S. Berwardi 1551.

XXXIV. JOANNES BVSCVMDVCIS BRABANTINVS. Hic professus post occupationem parochialis & Monasterii Ecclesiarum, hujus nominis 3^{tius}, in reformatione sextus. Edificavit tredecim ædificia ante Monasterium. Comparavit libertatem curiæ & decimæ in *Gronaw*. Annum salarium pro prædicantibus, à suo prædecessore extortum, solvere debuit, & Lutherani tam publicum quàm privatum exercitium inhibuerunt. Obiit anno 1563. in Vigilia S. Jacobi, & sepultus in Capella S. Benedicti ante Cryptam.

XXXV.

XXXV. MATTHIAS CAMPE professus ad S. Godehardum, hujus nominis Imus, post occupationem parochialis & Monasterii Ecclesiarum prius, in reformatione septimus, postulatus 1563. in die S. Laurentii. Tempore ipsius Hildesienfes armata manu invaserunt Monasterii pratum, & jus compascendi à festo Martini usque Philippi & Jacobi sibi usurparunt. Salarium pro Prædicantibus solvere debuit. Rexit duos annos & tres menses, obiit ex tristitia 15. Octobr. anno 1565. sepultus in Crypta ante altare S. Bernwardi.

XXXVI. JOHANNES LOEVENSEN Alveldianus, hujus nominis quartus, in reformatione 8. Professus in *Clusa*, postulatus 1565. ædificavit sacellum juxta dormitorium, quod Episcopus *Borchardus* consecravit, in quo iterum divina peragere incepit. Vocavit pro Priore *Tilmannum Brakebusch*. Vogtetus Monasterii tunc fuit *David Rosentwich*. 1591. 150 floreni prædicantium venerunt ad 90. florenos. 1591. coactus à consulatu restaurare magnam monasterii Ecclesiam. Ædificavit Abbatiam, Refectorium, Molendinum, & Curiam in Gronaw.

XXXVII. JOHANNES HYPEN Sefensis Professus & Prior, hujus nominis & post occupationem Ecclesiarum 5. in reformatione 9. electus 1604. continuavit divinum officium in Capella à prædecessore ædificata; etiam reparationem Ecclesiæ nostri Monasterii cum magnis sumptibus. Prædicantibus annuè solvit 90. florenos suis prædecessoribus extortos. Nec in crypta nec in sacello S. Benedicti privatim celebrare ausi fuerunt fratres, nisi in summo silentio. Anno 1609. in die Thomæ Apostoli concessum provisoribus 4. ædificia construere, in nostro cæmeterio. Benè præfuit, & multa debita solvit.

XXXVIII. JOANNES JACCENIVS Posthamiensis Marchiacus, hujus nominis sextus, in reformatione decimus: Abbas electus Anno 1614. in Octava Nativitatis B. M. V. vir zelosus & pius, ac jurium Monasterii strenuus propugnator. Ejus opera *magnum* (ut appellabatur) *servitium* consentiente Reverendissimo Capitulo Cathedrali abrogatum est. Varias bellorum & novennalis exilii tempore calamitates perpeffus, ac tandem Monasterio suo restitutus, eidem usque ad decrepitam senectutem laudabiliter præfuit, quam exactis in regimine Abbatiali annis 54, ætatis anno 83. piissimâ morte conclusit anno 1668, 20. Maji. Sepultus in sacello S. Benedicti ad pedes sui prædecessoris.

XXXIX. NICOLAUS MERLOHORSTIVS SS. Theologiæ Licentiatus, ejusdemque in diversis Monasteriis Lector, ex Priore S. Pantaleonis Colonia electus Abbas anno 1668. 28. Maji, vir doctus & prudens, disciplinæ regularis promotor zelosissimus, jurium Monasterii defensor constantissimus, bonorumque administrator fidelissimus. Postquam æs alienum, propter miseras præcedentium annorum contractum, magna ex parte exsolvisset, ac à Serenissimo Principe Electore Colonienfi &c. in suffraganeum Hildesiensem nominatus esset, piâ quidem sed præmaturâ morte vitam finivit anno 1676, 8. Martii, ætatis 46, Regiminis 8vo, ad latus prædecessoris sui in Sacello S. Benedicti sepultus.

XL. BENEDICTVS FRESSEN Colonienfis, ex Priore hujus monasterii Abbas 40. in Reformatione 12; disciplinæ religiosæ conservator discretus, vir longiori vita dignus, si fata concessissent. Obiit die 16. Augusti anno 1677, Regiminis 2, ætatis 40, in Sacello S. Benedicti ad latus prædecessoris sui sepultus.

XLI. WERNERVS FABION Colonienfis, hujus Monasterii Professus, ex Præposito *Esberdensi* Abbas 41, in Reformatione 13, disciplinæ, æconomix, ac bonorum promotor, cultor & auctor indefessus. Obiit anno 1689, 16. Aprilis, Regiminis 12, ætatis 58. in Sacello S. Benedicti sepultus.

XLII. JACOBVS DEDEKEN Halberstadiensis, nominis hujus 2dus, ex Cellerario Monasterii hujus Abbas 42, in reformatione 14. Redituum juriumque Monasterii strenuus defensor, pluriumque ædificiorum, & imprimis dormitorii ædificator indefessus, ararii publici consiliarius. Obiit Anno 1706, die 5. Junii, Regiminis 18, ætatis 51: in Sacello S. Benedicti sepultus.

XLIII. Defuncto Abbate *Jacobo* unanimi Fratrum consensu Abbas eligitur anno 1706 die 6to Iulii Admodum Reverendus P. *Benedictus Lüman*, Prior quondam meritißimus, eximius divini honoris Zelator, studiorum reparator, juriumque Monasterii defensor egregius; dignus, qui in suscepto regimine multis annis incolumis persistat.

